

generatum. — Ad quintum, dicendum quod embryo non pertinet ad resurrectionem ante animationem per animam rationalem, in quo statu puero multum advenit supra substantiam seminis de substantia nutriti, quia puer in utero matris nutritur. Et ideo, si aliquis embryus vescatur, et ex superfluo illius cibi generetur aliquis, illud quod erat in substantia seminis, resurget in eo qui ex semine generatur; nisi in illo conlinceretur aliquid quod fuisset de substantia seminis in illis ex quorum carnibus comestis semen generatum est, quia hoc resurget in primo, et non in secundo; residuum autem carniū comestorum, quod non est conversum in semen, constat quod resurget in primo; utrique divina potentia supplente quod deest. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod in nullo casu anima resurgentis unietur materie totaliter novæ, quin in corpore sumpto aliquid precedentis materie remaneat. Illud autem quod divina virtute supplebitur, faciet unum cum priori materia; et sic erit idem corpus quod prius, aliquali unitate, etsi non omnimoda.

Ad tertium dicitur quod, in illo dicto Johannis Baptiste, ly *suscitare* non sumitur pro resuscitare eo modo quo loquimur, scilicet de resurrectione mortuorum, sed pro creare vel generare: ut sit sensus, quod Deus potest ex lapidibus creare novum populum, qui pertineat ad filios Abraham spirituales; vel etiam carnales, puta si lapides converteret in panes, ex quibus comestis a Judæis generaretur semen, quo Judæus gigneret (α) filios; tunc enim ad litteram ex lapidibus generarentur novi filii Abraham. Non autem loquitur de resuscitatione filiorum Abraham præmortuorum. Ideo argumentum non est ad propositum. Quod etiam (β) patet per expositionem Hieronymi in arguendo adductam, in qua dicitur quod qui de nihilo cuncta fecerat, posset de saxis durissimis (γ) populum procreare. Unde arguens videtur paralogizare (δ) sophismate æquivocationis.

Ad argumentum contra quæstionem (ε), respondet sanctus Thomas, distinctione presenti, q. 1, art. 1; q^{da} 1, in solutione tertii, dicens: « Illud quod intelligitur in materia ante formam, remanet in materia post corruptionem: quia, remoto posteriori, adhuc potest remanere prius. Oportet autem, ut Commentator dicit, in 1. *Physicorum* (com. 63), et in libro *de Substantia orbis* (cap. 1), in materis generabilium ante formam substantialem intelligere dimensiones non terminatas, secundum quas attenditur materie divisio, ut diversas formas in diversis partibus recipere possit; et, post separationem forme substantialis a materia, adhuc ille dimen-

siones manent eadem. Et sic materia sub illis dimensionibus existens, quamcumque formam accipiat, habet maiorem identitatem ad id quod ex ea generatum fuerat, quam alia pars materie sub quacumque forma existens. Et sic eadem materia ad corpus humanum reparandum reducitur, quæ prius ejus materia fuit. » — Hæc ille. — Veruntamen positionem (α) illam de dimensionibus interminatis precedentibus formam in materia, et remanentibus in materia post recessum forme substantialis, in suis ultimis determinationibus reprobavit. Ideo aliter dicendum est: quod scilicet materia quæ semel fuit sub forma Petri, et fuit pars Petri, aliquam habitudinem habet ad Petrum, et ad animam (β) Petri, quam non habet ad alias formas sub quibus nunquam fuit, et ad alia composita quorum nunquam fuit pars.

Et hæc de quæstione sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

QUÆSTIO II.

UTRUM CORPORA SANCTORUM POST RESURRECTIONEM ERUNT IMPASSIBILIA

DICEREM, circa quadragesimam quartam distinctionem, queritur: Utrum corpora sanctorum post resurrectionem erunt impassibilia.

Et arguitur quod non. Omne enim mortale, est passibile. Sed homo, post resurrectionem, erit animal rationale mortale: hæc enim est diffinitio hominis, quæ nunquam ab eo separabitur. Ergo corpus erit passibile.

In oppositum arguitur. Quia omne passibile est corruptibile; quia *passio magis (γ) facta abijcit a substantia* (6. *Topicorum*, cap. 2). Sed corpora sanctorum, post resurrectionem, erunt incorruptibilia, ut dicitur, 1. *Corint.* 15 (v. 42): *Seminatur in corruptione, surget in incorruptionem*. Ergo erunt impassibilia.

In hac quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

(α) positionem. — posset Pr.

(β) et. — Ad. Pr.

(γ) magis. — agentis Pr.

(α) gigneret. — gignet Pr.

(β) Quod etiam. — et quod Pr.

(γ) durissimis. — durissimis Pr.

(δ) paralogizare. — paralogizantem Pr.

(ε) quæstionem. — conclusionem Pr.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio : Quod corpora sanctorum, post resurrectionem, erunt passibilia passione communiter dicta, prout omnis receptio dicitur passio.

Secunda conclusio est quod corpora sanctorum, post resurrectionem, non erunt passibilia passione proprie dicta, que est motus præter naturam, vel abjectio alienius convenientis, aut receptio alienius disconvenientis.

Tertia conclusio est quod talis impassibilitas proveniet ex pleno dominio anime supra corpus.

Has tres conclusiones ponit sanctus Thomas, præsentī distinctione, q. 2. art. 1, in solutione primæ questionis, ubi sic dicit : « Passio dicitur dupliciter. Uno modo, communiter; et sic omnis receptio passio dicitur, sive illud quod recipitur, sit conveniens recipienti et perfectivum illius, sive contrarium. Et ab huiusmodi passionis remotione corpora gloriosa impassibilia non dicuntur, cum nihil quod est perfectio, eis sit auferendum. Alio modo dicitur proprie, quam sic diffinit Damascenus (*de Fid. Ort.*), lib. 2 (cap. 22), sic dicens : *Passio est motus præter naturam*. Unde immoderatus motus cordis passio ejus dicitur; sed moderatus dicitur ejus operatio. Cujus ratio est : quia omne quod patitur, trahitur ad fines agentis; quia agens assimilatur sibi patienti; et ideo patientis, in quantum huiusmodi, trahitur extra terminos proprios in quibus erat. Sic (α) ergo, proprie accipiendo passionem, non erit in corporibus sanctorum resurgentium potentialitas ad passionem; et ideo impassibilia dicuntur. Huiusmodi autem impassibilitatis ratio a diversis diversimode assignatur. Quidam enim attribuant eam conditioni elementorum, que aliter se habebunt tunc in corpore humano quam modo se habent. Dicunt enim quod elementa remaneant ibi secundum substantiam, sed qualitates active et passive ab elementis auferentur. Sed hoc non videtur verum. Quia qualitates active et passive sunt de perfectione elementorum; unde, si sine eis repararentur (β) elementa in corpore resurgentis, essent minoris perfectionis quam modo sunt (γ). Et præterea, cum qualitates illæ sint propria accidentia

elementorum, ex forma et materia illorum causata, videtur valde absurdum quod causa maneat et effectus tollatur. Et ideo dicunt alii, quod manebunt qualitates, sed non habebunt proprias actiones, divina virtute illud faciente ad conservationem humani corporis. Sed hoc etiam non videtur posse stare. Quia ad mixtionem requiritur actio activarum et passivarum qualitatum, et, secundum prædominium unius vel alterius, mixta (α) efficiuntur diversæ complexionis; quod oportet ponere in corpore resurgentis, quia erunt ibi carnes, et ossa, et huiusmodi partes, quibus non competit una omnibus complexio. Et præterea, secundum hoc, impassibilitas non posset poni deo in beatis: quia non poneret aliquam dispositionem in substantia impassibili, sed solum prohibitionem passionis ab exteriori, scilicet divina virtute, quæ etiam posset idem facere de corpore hominis in statu huius vite. Et ideo alii dicunt quod in ipso corpore erit aliquid prohibens passionem corporum gloriosorum, scilicet natura quinti corporis, quam ponunt venire in compositionem corporis humani, ad conciliandum elementa in quadam harmonia, per quam possint esse debita materia animal rationalis; sed tamen, in statu huius vite, propter dominium naturæ elementaris, corpus humanum patitur, ad similitudinem aliorum elementorum; sed, in resurrectione, dominabitur natura quinti corporis; et ideo corpus humanum reddetur impassibile, ad similitudinem corporis celestis. Sed hoc non potest stare. Quia corpus quintum non venit materialiter ad compositionem corporis humani, ut in secundo libro (dist. 17, q. 3, art. 1) est ostensum. Et præterea: impossibile est dicere quod aliqua virtus naturalis, qualis est virtus corporis ecclesiæ, transferat corpus humanum ad proprietatem gloriæ, qualis est impassibilitas corporis gloriosi: cum immutationem corporis humani Apostolus attribuat virtuti Christi; quia *qualis celestis, tales (δ) et ecclesiæ*, 1. Corinth. 15 (v. 48); et, *Philipp. 3* (v. 21), *Reformabit corpus humilitatis nostræ*, etc. Et præterea; non potest natura corporis celestis ita dominari in corpore humano, quin natura elementaris remaneat, cui ex suis essentialibus principiis passibilitas inest. Et ideo aliter dicendum est, quod omnis passio sit per victoriam agentis super patientem; alias non traheret ipsum ad suos terminos. Impossibile est autem quod aliquid dominetur supra patientem, nisi in quantum debilitatur dominium propriæ formæ supra materiam patientis, loquendo de passione quæ est contra naturam, de qua nunc loquimur: non enim potest materia subijci uni contrariorum sine hoc quod tollatur dominium alterius super illam, vel saltem diminuat. Corpus autem humanum, et quicquid

(α) Sic. — Sc Pr.

(β) reparantur. — reparantur Pr.

(γ) sunt. — sunt Pr.

(α) mixta. — mixti Pr.

(δ) tales. — tales Pr.

in ipso est, erit (α) perfecte subjectum animæ rationali, sicut et ipsa erit perfecte subjecta Deo. Et ideo in corpore glorioso non poterit esse aliqua mutatio contra dispositionem illam qua perficitur ab anima. Et ita corpora illa erunt impassibilia. » — Hæc ille.

Ex quibus possunt formari rationes pro qualibet trium conclusionum. — Pro prima, arguitur sic : Omne receptivum formæ convenientis est aliquo modo passivum. Sed corpora sanctorum, post resurrectionem, erunt huiusmodi. Ergo erunt passiva passione communiter dicta. Minor probatur : quia sensus beatorum sentient objecta sibi convenientia ; sed quolibet sensatio fit cum receptione speciei sensibilis in organo corporeo ; ergo. — Pro secunda conclusione, arguitur (β) sic : Nihil importans violentiam aut inordinationem nature, ponendum est in corporibus gloriosis beatorum. Sed huiusmodi est passio stricte sumpta. Ergo, etc. — Pro tertia conclusione, arguitur sic : Forma substantialis perfecte dominans sue materie, excludit ab ea passionem cujuslibet agentis ad privationem talis forme, et inducentis oppositam. Sed, post resurrectionem, anima perfecte dominabitur sue materie. Ergo, etc. Major patet per exemplum forme celestium corporum.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Scoti. — Quantum ad secundum articulum ; arguendum est contra conclusionem, singulariter contra tertiam. Contra quam Scotus arguit (dist. 49, q. 13), probando quod impassibilitas corporis gloriosi non proveniat ex pleno dominio animæ super corpus, nec ex cessatione motus cœli.

Non quidem propter primum. Quia arguitur sic : Quia anima non repugnat qualitatibus elementaribus que sunt in corpore suo, etiam in quantum contraria, et (γ) non reducta ad medium in quo sunt activa. Patet : quia supponit eas in suo susceptivo ; et nihil repugnat ei quod exigit in suo susceptivo. Nec etiam repugnat effectibus illarum qualitatuum : quia, si agunt mutuo, non agunt nisi actione univoca. Solum effectus illi non repugnant anime usque ad magnam intensiorem : quia cum hoc stant cum anima, licet intendatur usque ad magnam gradum ; ergo tunc non repugnabunt (δ) anime ut est

forma informans. Si ergo anima prohibet actionem illarum qualitatuum non propter repugnantiam sui ad actionem illarum, sed propter imperium sui, per actum voluntatis, quasi ex pleno dominio super corpus, — hoc non videtur probabile : quia supremus angelus per solum imperium sue voluntatis non potest impedire actionem alicujus cause naturalis ; cause enim naturales non obediunt angelis ad nutum, quantum ad actionem et alterationem earum.

Dicetur forte quod imperium voluntatis non prohibet qualitates illas ad invicem agere, sed ex anima plenarie beata redundat in corpus quædam qualitas prohibens huiusmodi passionem corruptivam, sicut durities est quædam impassibilitas, scilicet prohibens hanc passionem que est faciliter incidi. — Sed contra hoc. Quia illa qualitas non est qualitas celestis : tum quia nec perspicuitas, nec lux, nec lumen ; tum quia corpus humanum, cum sit mixtum, non est receptivum qualitatis celestis. Vel ergo erit qualitas elementaris, vel propria mixti. Sed, sive sic, sive sic, non impedit omnem actionem vel passionem. Patet hoc etiam in exemplo : quia, licet durities prohibeat incisionem, non tamen combustionem, vel aliam passionem destructivam. Hoc etiam probatur per rationem : quia omnes forme ejusdem susceptivi (α) proximi sunt ejusdem generis physici, ex 5 (l. c. 33) et 10. *Metaphysica* (l. c. 22) ; sed omnes tales sunt contrarii vel medie, ut habetur in eodem 10. *Metaphysica* (ibid.) ; omnes autem huiusmodi non prohibent actionem mutuam, immo sunt principia actionis mutue : ergo ista qualitas, si (β) est elementaris, vel mixti, et per consequens ejusdem susceptivi, non prohibebit omnem passionem corruptivam, sed magis erit principium agendi et patiendi. Item : illa qualitas, aut repugnat aliis qualitatibus, et tunc non prohibet omnem actionem, quia est ejusdem rationis ; aut non repugnat, et tunc non prohibet actionem alicujus illarum in aliam, quia istæ aliæ sunt inter se repugnantes, et ita principia mutuo agendi, et ita nulli earum actioni repugnat.

Quod autem cessatio motus cœli non sit causa huius impassibilitatis, probatur. Tunc quia contra hoc est articulus : *Stande cœla, approximata igne stuppe, quod ignis non corrumpat stuppeum*. Error. Tum quia, secundum Philosophum, 2. *de Generatione* (l. c. 35), motus cœli pro tanto est causa generationis, quia adducit generans ; ergo tantummodo facit ad presentiam vel approximationem generantis respectu materie ; ergo, si sine motu habetur eadem presentia, vel approxinatio, aspicitur fore generatio. Exemplum huius : si subito, per divinam potentiam, sol foret presens aeri, sicut

(α) est, erit. — erit, est Pr.

(β) arguitur. — arguit Pr.

(γ) et. — Qu. Pr.

(δ) repugnabunt. — repugnat Pr.

(α) susceptum. — suscepti Pr.

(β) si. — Qu. Pr.

nunc sit per motum, eodem modo illuminaret et calefaceret sibi supposita, sicut nunc calefacit; immo tunc quidem non cessaret agere quousque totaliter corripisset sibi suppositum, si posset corrumpere se; nunc autem, quia non immoratur super passum suppositum, minus agit efficaciter in ipsum.

II. Argumenta Aureoli. — Contra eandem conclusionem arguit Aureolus (dist. 44, q. 1, art. 3), probando quod ista impassibilitas non proveniat ex aliqua forma passiva.

Primo (α). Quia impassibilitas corporum non solum consistit in non posse pati abiectionem formae convenientis, sed etiam translationem violentam de loco ad locum. Sed hanc secundam impassibilitatem non videtur habere posse corpus per aliquam qualitatem. Quia sic oporteret quod per illam fieret fortius et universalius in resistendo, quam sit quaecumque potentia motiva creata. Probatur consequentia per Aristotelem, in *de Motu animalium*, qui dicit quod oportet potentiam resistentis fortius quidem esse potentia movente. Sed non est dare, ut videtur, aliquam potentiam in corpore glorioso excedentem vim motivam omnium angelorum, vel aliorum moventium. Ergo, etc.

Secundo. Quia illa virtus tolleretur passibilitatem abiectionem, impediendo agens ne ageret. Aut ergo hoc erit subtrahendo actionem agenti, aut passionem materiei. Sed nulla virtus creata potest suspendere virtutem activam ab agere, nec materiam a pati: eo quod nulla virtus creata potest separare subjectum a sua propria passione; agere autem videtur prima passio esse virtutis activae, sicut calefacere caloris, et hoc passivo praesente; similiter passio materiei est pati, *l. de Generatione* (l. c. 55) (β).

Tertio. Quia nulla virtus creata potest auferre illud quod convenit alicui in secundo modo dicendi per se. Sed composito ex elementis convenit per se in (γ) secundo modo pati et corrumpi; quia, *l. Caeli et mundi* (in fine), dicitur quod per se est quod omne corruptibile corrumpatur, et omne passibile patiatur.

Quarto. Nunquam abiectione passio potest ab aliqua forma impedi, nisi propter mantenentiam formae contrariae. Sed quaecumque forma maneat in corpore glorioso, non est tantae activitatis quod possit resistere omni agenti contrario. Ergo nulla talis forma in corpore glorioso potest sic manere, ut per hoc excludatur omnis passio abiectione.

Dico: quod illa qualitas est ipsa forma cum

materia, vel unam formam cum alia, et reddens impossibilem separari ab alia; et ideo, licet forma non habeat de se quod possit manentem in subiecto per resistentiam ejus contra omne corruptivum, tamen hoc potest habere mediante illa qualitate. — Contra. Quia tunc oporteret quod qualitas illa fundaret formalem contrarietatem ad activa (α) quae apta nata sunt agere in corpus, ex quo esset corpori ratio resistendi omni agenti. Quo posito, sequitur quod illa qualitas posset compati omne contrarium: quia, si posset diminui, posset corrumpi; et ita non redderet corpus incorruptibile. — Haec ille Aureolus.

III. Argumenta Durandi. — Contra eandem conclusionem arguit Durandus (dist. 44, q. 4), probando quod impassibilitas corporum gloriosorum non erit per aliquam formam inherenterem, sed solum per divinam virtutem assistentem beatis, et prohibentem actionem cujuslibet extrinseci inferentis passionem. Quod probat.

Primo sic. Quia sicut statui (δ) beatorum repugnat passio contra naturam, sic et motus localis contra voluntatem: utrumque enim horum importat violentiam et displicentiam (γ) in cognoscentibus. Sed quod corpora beata non possint moveri contra voluntatem, non convenit eis per aliquam virtutem inherenterem, sed solum per divinam virtutem eis assistentem. Ergo idem sentiendum de passione quae est contra naturam. Probatio minoris: si enim esset in corporibus beatis per aliquam virtutem intrinsecam quod non possent ab alio moveri contra voluntatem, oporteret (ε) quod in quolibet beato esset tanta virtus in resistendo, quanta esset in quocumque alio in (α) impellendo. Istud autem non est verum: quia, secundum hoc, oporteret (ζ) in minimo beato, ad hoc quod non posset moveri contra voluntatem, esse tantam virtutem quanta est in quocumque homine vel angelo, alioquin, si non esset tanta, posset moveri ab alio contra voluntatem; ponere autem in minimo beato aequalem virtutem cum omnibus aliis, tam hominibus quam angelis, inconveniens est, cum secundum naturam angeli excedant homines, et secundum gloriam sint gradus tam in hominibus quam in angelis. Ergo, etc.

Secunda ratio talis est: Quia passibilitas proprie dicta et corruptibilitas sibi correspondent. Ergo et impassibilitas et incorruptibilitas. Sed incorruptibi-

(α) ad activa. — ab activis Pr.

(β) statui. — statum Pr.

(γ) utrumque enim horum importat violentiam et displicentiam. — Innaturaliter autem importat violentiam et disciplinam Pr.

(δ) oporteret. — oportet Pr.

(ε) in. — Om. Pr.

(ζ) oporteret. — oportet Pr.

(α) Prima. — Om. Pr.

(β) *l. de Generatione* (l. c. 55). — secundum Comment.

torum. 2. *Caeli et mundi* Pr.

(γ) in. — Om. Pr.

¶ Virtus beatorum non erit per aliquam virtutem inherenter, ut probabitur. Ergo nec impassibilitas. Probatur minor: quia effectus communis requirit causam communem; sed incorruptibilitas post resurrectionem erit communis bonis et malis; ergo in eis erit per aliquam causam communem; sed in malis incorruptibilitas non erit per aliquam formam inherenter; ergo nec in bonis. Quod autem in malis non sit incorruptibilitas per aliquam formam inherenter, probatur ex dictis aliorum qui tenent oppositam opinionem; hoc enim expresse concedunt. Et probatur per rationem: quia, cum passio proprie dicta sit via ad corruptionem (ut dicitur, 2. de Generatione), si aliqua forma prohiberet corruptionem in damnatis, prohiberet et passionem; quia ad utrumque se extenderet virtus ejus, nec ageret libere, ut unum prohiberet, aliud vero permetteret; cum ergo in damnatorum corporibus non prohibeatur passio proprie dicta, patet quod non prohibebitur corruptibilitas per aliquam formam inherenter.

Tertia ratio talis est: Quia (x) Augustinus in Epistola ad Consentium (ep. 205, al. 146), sic dicit: Sicut ab igne fornacis Chaldaeorum abstulit Deus virtutem comburendi quantum ad aliquid, quia scilicet corpora puerorum illius servata sunt, sed mansit quantum ad aliquid, quia illo igne comburebantur ligna; ita auferet ab omnibus corruptionem, et dimittet eis naturam modo predictam, scilicet impediendo excessum actionis. Et sic impassibilitas erit in corporibus beatorum per hoc quod virtus divina, beatis assistens, prohibebit actionem ejuslibet extrinseci inferentis corruptionem.

Quarta ratio est: Quia effectus privativus non requirit nisi causam privativam. Sed esse impossibile est quidam effectus privativus. Ergo non requirit nisi causam privativam. Non ergo oportet quod corpora gloriosa sint impassibilia per aliquam formam inherenter. — Hec Durandus.

IV. Argumenta Henrici. — Contra eandem conclusionem arguit Henricus, 9. Quodlibet, q. 16, ubi sic dicit: Oportet quod illud per quod corpus beatum est impassibile, sit tale quod preservet ipsum ne ab aliquo interiori vel exteriori pati possit, nisi a solo Deo. Nec hoc poni potest virtus elementaris, ut dictum (z) est; nec celestis, quia eorum non venit in compositionem cujuscunque corporis. Oportet ergo quod sit aliquid positivum, supernaturale, per quod corpus beatum omnino sit impassibile. Dicant autem aliqui, quod haec virtus non erit aliud quam gloria animae, per quam corpus suum erit plenarie subiectum sibi; propter quod in corpore non poterit esse aliqua passio contra ejus dispo-

sitionem, quia passio non fit ab aliquo agente in passum, nisi quia dominium formae debilitatur supra patiens. Sed hoc non sufficit. Quia, quantumcumque corpus sit subiectum animae, non erit impassibile (x), si nihil receptum (z) sit in corpore, per quod in se vel a se sit impassibile: quia, quod non patitur, hoc habet ex illa subiectione, ut dicunt; ex hoc ergo bene habebit quod nunquam patietur, sed non quod, quantum est de se, sit impassibile. Nos autem querimus causam impassibilitatis, qua nec pati possit. Si enim dominium animae super corpus non potest debilitari, posset tamen debilitari dominium alienius qualitatis, etsi nunquam debilitaretur; et sic posset fieri passio a qualitate vincente. Nos autem querimus corpus impassibile, quod ex se necesse est non pati. Unde ex ista ratione non potest poni corpus impassibile propter gloriam animae, nisi ponendo quod anima in homine det esse corporeum, ut homo non sit compositus nisi ex anima et materia prima; ubi non video aliquam mixturem, nec formam elementi, nec illam quae est ex elementis, nec aliam corruptionem quam separationem animae a materia. Nunc autem nos ponimus separationem animae a corpore quod habet esse corporeum per formam quae resultat ex elementis ex quibus componitur, quae, per suam presentiam, continet forma illa quae est anima quantum potest, ut dicitur in fine 1. de Anima (y). Quia, si sola anima sit forma in homine, non video causam corruptionis, sive anima sit glorificata, sive non. Quare (z), si corpus humanum ex se passivum est secundum aliam formam quam sit anima, oportet quod sit impassibile ex dispositione positiva, secundum se, praeter animam, et quod immutet corpus immediate, cum de passibili fit impassibile, et similiter homo de mortali factus immortalis, non novam vitam assumendo, sed quendam modum vite, ita quod, si (x), per impossibile, anima non gloriosa corpori existenti cum tali dispositione conjungeretur, immortalis esset homo. Si autem homo esset compositus ex anima et sola materia prima, cum materia prima ex se sit incorruptibilis, sicut corpus cum illa dolo, non potest poni ista via quod sit ex se corruptibilis. — Hec Henricus.

¶ Et in hoc secundus articulus terminatur.

(x) non erit impassibile. — Om. Pr.

(z) receptum. — receptivum Pr.

(y) forma illa quae est anima quantum potest, ut dicitur in fine 1. de Anima. — animam Pr.

(z) quare. — Quia Pr.

(x) si. — Om. Pr.

(x) Quia. — Quod Pr.

(z) dictum. — argumentum Pr.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM
CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Scoti. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem ad argumenta Scoti primo loco inducta contra conclusiones, scilicet de dominio anime beate super corpus gloriosum, — dicitur primo, quod anima beata non prohibet actionem qualitatum elementarium ad invicem in corpore glorioso propter repugnantiam sui ad tales qualitates, vel ad earum effectus, nec solum propter solum imperium voluntatis; sed tertio modo, quia scilicet (z) ex anima plenarie beata redundat quodam qualitas in corpus, prohibens iniqui modi passionem corruptivam, sicut in argumento recitatur. Unde, licet impassibilitas secundum rationem nominis videatur importare solam privationem, tamen causa ejus erit in corporibus gloriosis aliqua forma passiva. De hoc sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 2, art. 1, in solutione secunde questioncule, sic dicit: « Impassibilitas potest dupliciter considerari: vel secundum se, vel secundum causam suam. Si secundum se consideretur, quia solam negationem vel privationem importat, non suscipit magis et minus, sed erit equalis in omnibus beatis. Si autem consideretur secundum causam suam, sic erit in uno major quam in alio. Causa autem ejus est dominium anime super corpus. Quod quidem dominium causatur (z) ex hoc quod fruitor Deo inviolabiliter. Unde in illo qui perfectius fruitor est major impassibilitas. » — Hec ille. — Item, ibidem, prima questioncula, in solutione secundi, sic dicit: « Forma ligat potentiam materiam, determinando ipsam ad unum, secundum quod dominatur super eam. Et quia in rebus corporalibus non perfecte dominatur forma supra materiam, non potest perfecte ligare ipsam, quin recipiat interdum per aliquam passionem dispositionem contrariam forme. Sed in sanctis, post resurrectionem, anima dominabitur supra corpus; nec illud dominium aliquo modo poterit auferri, quia ipsa erit immutabiliter Deo subiecta (quod non fuit (y) in statu innocentie). Et ideo in corporibus illis manet eadem potentia ad formam aliam que nunc est, quantum ad substantiam potentie; sed erit ligata, propter victoriam anime supra corpus, ut nunquam in

actum passionis exire possit. » — Hec ille. — Item, art. 3, in solutione prime questioncule, sic dicit: « Corpus gloriosum erit omnino subjectum anime gloriose, non solum ut nihil in eo sit quod resistat voluntati spiritus (quia hoc fuit etiam in corpore Adæ), sed etiam ut sit in eo aliqua perfectio effluens ab anima gloriose in corpus, per quam habile reddatur ad predictam subjectionem. Que quidam perfectio dicitur gloriose corporis dicitur. Anima autem conjungitur corpori non solum (z) ut forma, sed ut motor; et utroque modo oportet quod corpus gloriosum anime gloriose sit summe subjectum, etc. » Item, dist. 49, q. 4, art. 5, in solutione tertie questioncule, sic dicit: « Anima est forma corporis, et motor. Unde, cum dotes corporis ad hoc ordinantur ut corpus perfecte subiciatur anime, hoc erit ut subiciatur ei perfecte, et sicut forme, et sicut motori. A forma autem in materia tria causantur: scilicet esse substantiale; vires et forme secundarie, scilicet accidentales; et amborum conservatio. Corpus ergo gloriosum, in quantum perfecte subditur anime quantum ad esse substantiale quod ab ea habet, sic est *dos subtilitatis*: ex hoc enim corpus gloriosum subtile dicitur, quod perfecte ab anima informatur. In quantum vero perfecte subditur ei ut forme, secundum formas accidentales que sunt in corpore ab anima, sic est *dos claritatis*. In quantum vero corpus gloriosum perfecte ab anima conservatur, sic est *dos impassibilitatis*: ex hoc enim impassibile dicitur, quod ex vi anime conservatur immutabile ab omni latione. Sed in quantum corpus perfecte subditur anime ut motori, sic est *dos agilitatis*: corpus enim secundum hoc dicitur agile, quod ad omnes actus anime est expeditum et paratum (z). » — Hec ille. — Item, ibidem, in solutione secunde questioncule, sic dicit: « Beatitudo, vel gloria, principaliter est in mente; sed, per quandam redundantiam, derivatur etiam ad corpus, ut beatitudo hominis secundum corpus dicatur secundum quod imperium anime Deo conjuncta perfecte exequitur. Unde, sicut dispositiones que sunt in anima beata ad perfectam operationem qua Deo conjungitur, dicuntur anime dotes; ita dispositiones que sunt in corpore glorioso, ex quibus corpus efficitur perfecte anime subjectum, dicuntur corporis dotes. » — Hec ille. — Ex quibus apparet quod, secundum mentem ejus, quilibet dos corporis gloriosi est aliquid positivum, subjective existens in corpore glorioso. Tum quia hoc requirit perfecta subiectio corporis gloriosi ad animam. Tum quia hoc requirit nobilitas impassibilitatis regiminis, excedens impassibilitatem primi status Adæ. Tum quia hoc requirit impassibilitas patrie, excedens impassibilitatem vie, que posset

(z) scilicet. — sc. Pr.

(z) causatur. — causatur Pr.

(y) fuit. — fuit Pr.

(z) solum. — Om. Pr.

(z) paratum. — paratum Pr.

prestari alicui per solam virtutis divine assistentiam, ut in probatione conclusionis dictum fuit.

Pro hac parte arguit Petrus de Palude (dist. 44, q. 2); dicens quod « probabile videtur quod impassibilitas sit per aliquid positivum ex parte anime, quo ipsa ita plene (α) dominetur corpori, ut a sua subiectione non possit eripi, nec auferri sibi. Sicut enim in originali iustitia anima erat subiecta Deo, et corpus anime; ita multo magis in gloria. Propter quod, sicut habitus habet, quibus perfecte Deo subditur, sic probabile est quod habeat habitus, quibus convenientius præsit corpori: non quibus corpori alligetur, ne corrumpatur sicut alie forme, quia ipsa est incorruptibilis. Nec iste habitus est ut ipsa (β) coniungatur corpori, quia nihil cadit medium; sed magis consequitur unionem illam; sive sit in esse anime respectu corporis, sicut gratia respectu Dei; sive in potentia intellectus, aut voluntatis, ut contra voluntatem nihil in corpore patitur, quod esset pena; sive ille habitus sit una de dotibus anime, sive gratia magis perfecta, sive aliquid aliud. — Item, in corpore hec etiam poni potest, ut sicut per sanitatem naturalem est magis subiectum anime, sic et per talem habitum, qui sanitas et vigor dicitur: quia unumquodque agitur sicut natum est agi; unde, cum corpus sit natura refineri ab anima certa periodo, mediantibus quibusdam qualitatibus, non est inconveniens superinfundere qualitates quibus perpetuo ibi teneatur. Et si dicatur quod ille qualitates sunt propter inferiorem consumptionem in mixtis, — non est verum. Immo etiam in simplicibus (γ), que non possunt corrumpi ab intra, sed tantum ab extra, sunt qualitates quibus defendunt se a corruptione violenta. Ne ergo perfectio corporum inferiorum, que non solum divina protectione sed a se defenduntur, illis desit, sic et hic: sicut beati, licet divina protectione possint a peccato preservari, quod ledit animam, tamen etiam intra se habent aliquid quo possunt se preservare; sic, et quamvis divina virtus æque sine forma inherente possit preservare corpus a contrario, tamen ad nobilitatem eorum pertinet non subiaceri alicui corpori, a quo non solum non patiantur, sed nec possint pati; unde tunc non poterunt nec a luce celesti alterari, nec a calore vel frigore; et hoc propter se. — Item: Aliter fuit corpus Christi incorruptibile in triduo, et aliter post resurrectionem. Sed in triduo erat incorruptibile per virtutem assistentem solum. Ergo post resurrectionem per virtutem inherentem. — Item: Quando Christus assumpsit similitudines dotum, ambulando super aquas, et huiusmodi, non propter hoc habuit dotes; sed tunc habuit virtutem assistentem. Ergo dotes

dicunt aliquid intrinsecum in eis positivum. Unde Apostolus dicit (1. Corinth. 15, v. 53) quod oportet corruptibile induere incorruptionem (α); et (ibid., v. 52) quod immutabimur (β); et multa alia, que notant qualitates informantes. » — Hæc Petrus, et bene.

Dicitur secundo, quod prima improbatio huius responsionis non valet; quia procedit ex insufficienti divisione. Dicitur enim quod impassibilitas, et quolibet alia dotum corporis gloriosi, non est qualitas celestis, nec qualitas elementaris, nec qualitas corporis mixti; sed qualitas supernaturalis, non dependens effective ex actione alicujus corporis, nec ex quacunque actione vel passione seu mixture corporum resultans. Potest tamen dici qualitas mixti subjective; quia subjectum ejus erit mixtum, scilicet corpus humanum. Et ideo, cum sit supernaturalis, potest prohibere omnem actionem corporis intrinsecam, vel extrinsecam, subjecti proprii corruptivam. De hoc sanctus Thomas, dist. 43, q. 1, art. 1, in solutione tertie quæstionculæ, sic dicit: « Est aliquis motus, sive actio, ejus natura non est principium, nec terminus. Et alius (γ) motus quandoque est a principio supra naturam, ut patet de glorificatione corporis, etc. » Item, dist. 44, q. 2, art. 1, q^{da} 1, in solutione tertii; sic dicit: « Qualitates elementares sunt instrumenta anime, ut patet, 2. de Anima (l. c. 40 et 50), ubi dicitur quod calor ignis in corpore animalis regulatur in actu nutriendi per virtutem anime. Quando autem agens est perfectum, et ita non est aliquis defectus in instrumento, nulla actio procedit ab instrumento nisi secundum dispositionem principalis agentis. Et ideo in corporibus sanctorum, post resurrectionem, nulla actio vel passio poterit provenire a qualitatibus elementaribus, que sit contra dispositionem anime, que intendit conservare corpus. » — Hæc ille.

Dicitur tertio, quod secunda improbatio responsionis non valet. Cum enim dicitur quod omnes forme ejusdem susceptivi proximi, sunt ejusdem generis physici, etc., — hoc solum habet verum in formis naturaliter educibilibus de potentia subjecti, et ad quas subjectum est in potentia passiva naturali; non autem de illis ad quas se habet solum in potentia obedientiali; ejusmodi sunt qualitates corporis gloriosi. De hoc sanctus Thomas, dist. 48, q. 2, art. 1, in solutione tertii, sic dicit: « Pro tanto dicitur Deus die septimo a novis creaturis condendis cessasse, quia nihil postea factum est, quod prius non precesserit in aliqua similitudine secundum genus vel speciem, vel ad minus sicut in principio seminali, vel etiam sicut in potentia

(α) plene. — per hoc Pr.

(β) ita habitus est ut ipsa. — ut ipsa est Pr.

(γ) simplicibus. — simplicibus Pr.

(α) incorruptionem. — incorruptibilem Pr.

(β) immutabimur. — immutabimur Pr.

(γ) alius. — talis Pr.

obedientiam. Ideo ergo quod novitas mundi futura processit quidem in operibus sex dierum in quadam remota similitudine, scilicet in gloria vel gratia angelorum; processit etiam in potentia obedientie, quae creaturae tunc est indita ad talem novitatem suscipiendam a Deo agente. a — Hec ille. — Simile dicitur, I p., q. 73, art. 1, in solutione tertii argumenti.

Dicitur quarto, quod tertia improbatio supradictae conclusionis non valet. Tum quia supponit illud quod statim negatum est, scilicet quod qualitas quae dicitur impassibilitas, sit ejusdem generis cum qualitatibus elementaribus. Tum quia supponit quod forma alteri non repugnat non prohibet actionem illius. Dicitur enim quod impassibilitas non repugnat qualitatibus elementaribus, sed compatitur eas; nec prohibet omnem actionem vel passionem illarum, sed solum actionem vel passionem quae sit contra dispositionem animae, et ejus naturalem intentionem et inclinationem, quae intendit conservare corpus, ut dictum est.

Dicitur quinto, quod a principio dici potuit, quod, licet anima, inquantum est forma informans, non repugnet qualitatibus elementaribus activis et passivis, nec omnibus effectibus illarum, aut actionibus et passionibus; tamen, inquantum ipsa est forma perfecte dominans suae materiae, et perfecte eam sibi sufficiens, et ligans ejus potentiam, et determinans ejus confusionem ad unum actum, ipsa, ut sic, repugnat inordinatis actionibus et passionibus qualitatum sui susceptivi, per quas posset ab ejus dominio et subjectione eripi, et ad aliam dispositionem discedi. Isto modo etiam forma celi dominatur suae materiae, secundum multos, qui ponunt in celo materiam ejusdem rationis cum materia corporum generabilium et corruptibilium. Et ideo anima sic dominans suo corpori prohibet omnem passionem affectivam, tam ab intrinseco quam ab extrinseco. Et tale dominium est prima causa formalis impassibilitatis; licet causa proxima dici possit aliqui qualitas efficiens ab anima in corpore sic sibi subiectum. Et sic patet quod argumento Scoti primo loco contra conclusionem induci non procedunt.

Ad ea vero quae secundo loco contra eandem conclusionem inducit, dicitur primo, quod cessatio motus celi est aliqualis causa incorruptibilitatis corporum tam beatorum quam damnatorum, licet divina justitia sit causa principalis talis incorruptibilitatis. De hoc sanctus Thomas, dist. 44, q. 11, art. 1, in solutione secunde quaestionis, sic dicit: « Cum in omni modo oporteat esse aliquid principium motus, dupliciter aliquis motus vel mutatio a mobili remouetur: uno modo, per hoc quod deest principium motus; alio modo, per hoc quod principium impeditur. Corruptio autem tribuitur quodammodo est. Unde dupliciter potest contingere

ut corpus, quod ex conditione suorum principiorum corruptibilitatem habet, incorruptibile reddatur. Uno modo, ex hoc quod principium ad corruptionem movens totaliter tollitur. Et hoc modo corpora damnatorum incorruptibilia erunt. Cum enim celum sit principium alterans per motum suum localem, et omnia alia agentia secunda in virtute ipsius agent, et quasi ab ipso motu, oportet quod, cessante motu celi, nihil sit agens quod possit per alterationem aliquam corpus transmutare a sua naturali proprietate. Et ideo, post resurrectionem, motu celi cessante, nulla qualitas erit sufficiens ut corpus humanum alterare possit a sua naturali qualitate. Corruptio autem est terminus alterationis, sicut et generatio. Unde corpora damnatorum corrumpi non poterunt. Et hoc deservit divina justitia, ut perpetuo viventes, perpetuo puniantur; quod divina justitia requirit; sicut etiam nunc corruptibilitas corporum deservit divinae providentiae, per quam ex aliquibus corruptis alia generantur. Alio modo contingit ex hoc quod principium corruptionis impeditur. Et hoc modo corpus Ade incorruptibile fuit: quia contrarie qualitates in corpore (a) hominis existentes, continebantur per gratiam innocentiae (b), ne ad dissolutionem corporis agere possent. Et multo plus continebuntur in corporibus gloriosis, quae erunt omnino subiecta spiritui. Et sic in corporibus beatorum, post communem resurrectionem, coniungentur duo predicti modi incorruptibilitatis. a — Hec ille. — Item, ibidem, in solutione tertiae quaestionis, sic dicit: « Principalis causa quare corpora damnatorum ab igne non consumeruntur, erit divina justitia, quae eorum corpora ad penam perpetuam sunt addicta. Sed divinae justitiae servit etiam naturalis dispositio ex parte corporis patientis, et ex parte agentium. Quia, cum pati sit recipere quoddam, dupliciter est modus passionis, secundum quod aliquid in alio recipi potest dupliciter. Potest enim aliqua forma recipi in aliquo subiecto secundum esse naturale materialiter, sicut calor recipitur ab igne in aere. Et secundum hunc modum receptionis, est unus modus passionis, qui dicitur passio naturae. Alio modo aliquid recipitur in altero spiritualiter, per modum ejusdem intentionis, sicut similitudo albedinis recipitur in aere et in pupilla. Et haec receptio assimilatur illi receptioni qua anima recipit similitudines rerum. Et, secundum hunc modum receptionis, est alius modus passionis, qui vocatur passio animae. Quia ergo, post resurrectionem, motu celi cessante, non poterit corpus aliquod alterari a sua naturali qualitate, ut dictum est, nullum corpus pati poterit passione naturae. Unde, quantum ad hunc modum passionis, corpora damnatorum in-

ut corrumpatur, — incorruptio est De.

ut incorruptetur, — in incorruptio est De.

possibilia erunt, sicut et incorruptibilia. Sed, motu coeli cessante, adhaec remanebit passio quae est per modum animae: quia aer sole illuminabitur, et colorum differentias deferet (2). Unde, secundum hunc modum passionis, corpora damnatorum passibilia erunt. Et quia tali passione sensus perficitur, ideo in corporibus damnatorum sensus potius erit sine mutatione naturalis dispositionis. Corpora vero gloriosa, etsi recipiant aliquid, et quodammodo patiuntur in sentiendo, non tamen passibilia erunt: quia nihil recipient per modum affectivi et lesivi, sicut recipient corpora damnatorum, quae ob hoc passibilia dicuntur. » — Hec ille.

Dicitur secundo, quod prima inprobatio huius responsionis, quae fundatur in articulo Parisiensi, non valet. Tum quia articuli Parisienses indigent hac correctione, ut dicit Godofridus, 8. quodlibet, q. 5 (2); potissime ubi tangunt doctrinam sancti Thomae. Tum quia articuli illi tam per Ecclesiam quam per universitatem Parisiensem revocati sunt, ubi tangunt dictam doctrinam. Tum quia articulus recipit glossam, sicut dicta Christi et sanctorum et Canonis, quae sunt ingloriosae auctoritatis. Potest enim sic glossari, quod erronem est asserere quod, stante coelo, ignis approximatus, nuppe, non posset stuprum corrumpere, per quancunque potentiam, creatam vel increatam: quia hoc esset derogare divinae omnipotentiae. Non autem est erronem, si intelligatur quod hoc non potest fieri per causas naturales, nec sine miraculo. Et multis aliis modis potest articulus glossari.

Dicitur tertio, quod secunda inprobatio non valet. Non enim motus coeli est causa generationis et corruptionis tantummodo quia adducit et abducit generans et corrumpens, nec solum quia facit ad praesentiam aut absentiam solis vel alterius celestis corporis; verum etiam quia omnes alii motus corporales naturales et alterativi corporum dependent ab illo sicut a primo sui generis, et sicut ab actione causae superioris, scilicet substantiae separatae. De hoc beatus Thomas, *de Potentia Dei*, q. 5, art. 8, sic dicit: «Sicut habetur in libro *de Causis*, quando prima causa retrahit actionem suam a causato, oportet (3) quod causa secunda retrahat actionem suam ab eodem... eo quod causa secunda habet hoc ipsum quod agit per actionem causae primae, in cuius virtute agit. Cuius autem omne agens agit secundum quod est in actu, oportet secundum hoc accipere ordinem causarum agentium; secundum quod est ordo eorum in actualitate. Corpora autem inferiora minus habent de actualitate quam corpora celestia: nam in corporibus inferioribus non est

tota potentialitas completa per actum, eo quod potentia substantiae formae remanet in potentia ad aliam formam; quod non est in corporibus celestibus; nam materia celestis corporis non est in potentia ad aliam formam; unde sua potentialitas tota est determinata per formam quam habet. Substantiae vero separatae sunt perfectiores in actualitate quam etiam corpora celestia: quia non sunt compositae ex materia et forma; sed sunt quaedam formae substantiales, quae tamen deficiunt ab actualitate Dei, quae est suum esse: quod de aliis formis separatis non contingit. Sicut etiam videmus quod elementa etiam se superant invicem secundum gradum actualitatis, eo quod aqua plus habet de specie quam terra, et aer quam aqua, et ignis quam aer; ita est etiam in corporibus celestibus, et in substantiis separatis. Elementa ergo agunt in virtute corporum celestium, et corpora celestia agunt in virtute substantiarum separatarum (4). Unde, cessante actione substantiae separatae, oportet quod cesset actio corporis celestis; et, ea cessante, oportet quod cesset actio corporis elementaris (5). Sed sciendum quod corpus habet duplicem actionem. Unam quidem secundum proprietatem corporis, ut scilicet agat per modum: hoc enim est proprium corporis, ut motum moveat et agat. Aliam autem actionem habet, secundum quod attingit ad ordinem substantiarum separatarum, et aliquid participat de modo ipsarum: sicut autem inferiores consueverunt aliquid participare de proprietate naturae superiorum, ut apparet in quibusdam animalibus, quae participant aliquam similitudinem prudentiae, quae est propria hominum. Hec autem est actio corporis, quae non est ad transmutationem materiae, sed ad quandam diffusionem similitudinis formae in media, secundum similitudinem spiritualis intentionis quae recipitur de re in sensu vel intellectu. Et hoc modo sol illuminat aerem, et color speciem suam multiplicat in media. Uterque autem modus actionis in istis inferioribus causatur ex corporibus celestibus: nam ignis calore suo transmutat materiam, ex virtute corporis celestis; et corpora visibilia multiplicant suas species in medio, virtute luminis, cuius fons est in celesti corpore. Unde, si actio utraque corporis celestis cessaret, nulla actio in istis inferioribus remaneret. Sed, cessante motu coeli, remanebit prima actio, et non secunda. Et ideo, cessante motu coeli, erit quaedam actio in istis inferioribus illuminationis et inanimationis mediae a sensibilibus (6); non autem erit actio nec quam transmutatur materia, quam sequitur generatio et corruptio. » — Hec ille. Ex quibus patet quod

(2) *deferat*. — *differet* Pr.

(3) In codice Vaticano (lat. vat. 1021) non reperitur (tantum lib. 12, q. 5).

(4) *oportet* L. — *en* Pr.

(5) *celestia agunt in virtute substantiarum separatarum*.

— *substantiarum separatarum agunt in virtute* Pr.

(6) *elementaria*. — *elementorum* Pr.

(7) *sensibilibus*. — *sensibus* Pr.

actio materialis ipsius ignis dependet ab actione cœli, et actio cœli ab actione substantiæ separata; quæ quidem actio est ignis localis cœli. Unde sanctus Thomas, ubi super *De Potentia Dei*, q. 6, art. 3, sic dicit: « Cum idem, manens idem, semper satum sit idem fieret; quod autem generatur vel corrumpitur, aut alteratur, vel augetur vel diminuitur, non semper eodem modo se habet; oportet quod illud quod est generans et movens ad huiusmodi, non sit semper eodem modo se habens, sed aliter et aliter. Hoc autem non potest esse substantia separata: quia omnis talis substantia est immobilis; omne enim quod movetur, est corpus, ut 6. *Physicorum* (l. c. 32, 86, etc.) probatur. Unde illud quod est immediata causa reducens formam de potentia in actum per generationem et alterationem, est corpus, aliter et aliter se habens, secundum quod accedit et recedit per motum localem. Et inde est quod substantia separata suo imperio in corpore causat immediate motum localem; et, eo mediante, causat alios motus, quibus mobile acquirit aliquam formam. Et hoc rationabiliter accidit: nam motus localis est primus et perfectissimus motuum, utpote qui non variat rem quantum ad rem intrinsecam, sed solum quantum ad exteriorem locum; et ideo per primum motum localis corporalis natura a spirituali movetur, etc. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione secundi, sic dicit: « Formæ rerum naturalium in mente angelica existentes sunt magis actuales quam formæ quæ sunt in materia; et, propter hoc, sunt immediatum principium perfectionis quæ est intelligere. Operationis vero quæ est actio materiam transmutans, non sunt immediatum principium, sed mediante voluntate, et voluntas mediante virtute, et virtus immediate movet motum localem, quo mediante, est causa aliorum motuum, et est causa inductionis forme in materia. » — Hæc ille. — Similia dicit, l. p., q. 110, art. 2, in solutione secundi, dicens: « Illud quod potest virtus inferior, potest virtus superior; non tamen eodem modo, sed excellentiori modo: sicut intellectus cognoscit sensibilia excellentiori modo quam sensus. Et sic angelus excellentiori modo transmutat materiam corporalem quam agentia corporalia, scilicet movendo ipsa agentia corporalia, tamquam causa superior. » — Hæc ille. — 13, in primo articulo illius questionis, allegat (in arg. Sed contra) dictum Augustini, 3. *de Trinitate* (cap. 4), dicens quod omnia corpora reputantur per spiritum vite rationalem; et dictum Gregorii, 4. *Dialogor.* (cap. 6), dicens quod in hoc mundo visibili nihil nisi per creaturam invisibilem disponi potest. Ex quibus patet quod, cessante motu cœli, ignis non posset sine miraculo stuporem corrumpere. Veritatem de hoc adhuc erit sermo, cum de poena tractabitur damnationem. Sed hæc pro nunc sufficiunt ad argumenta Scoti pro articulo Parisiensi.

Dicitur quarto, quod auctoribus Philosophi, 2. *de Generatione* (l. c. 55), inepte allegatur ad propositum. Quia Philosophus ibi non loquitur de motu primo mobilis, quem nos dicimus causam omnium aliorum motuum, et ad cuius cessationem dicimus omnes alios cessaturos; sed loquitur de motu Zodiaci, vel obliqui circuli. Quod patet, quia, post dicta verba, subdit (l. c. 56): *Quoniam autem continuatur est in rebus generatio et corruptio, dicimus autem causam esse alterationem generationis; manifestum quod una eadem alteratione non contingit fieri ambo, quia contraria sunt. Idem enim et similiter se (z) habens, semper idem natum est facere. Quocirca generatio semper erit, aut corruptio. Oportet autem multos esse motus, et contrarios, aut alteratione, aut inequalitate: contrariorum enim contraria causa. Ideoque non prima alteratio causa est generationis et corruptionis, sed quæ circa obliquum circuitum. In hac enim et continuo movetur, et moveri secundum (b) duos motus. Necessario enim, si erit semper continua generatio et corruptio, semper aliquid moveri, ut non deficient transmutationes; duo autem, ut non alterum contingat solum. Continuitatis quidem (γ) ergo totius alteratio causa: presentie vero et absentie, inclinationis. Contingit enim quandoque longe fieri, quandoque prope. Inæquali vero distantia, inequalis erit motus. Quocirca, si in adveniando et prope esse generat, et in recedendo et (δ) longe fieri ipsam corrumpit. » Hæc ille, in forma. Et vocat alterationem totius primum motum localem, vel motum primi mobilis, quem sequuntur omnia corpora cœlestia; inclinationem vero vocat motum Zodiaci et obliqui circuli. Cum autem dicit quod prima alteratio non est causa generationis et corruptionis, intelligit quod non est causa proxima et immediata talis varietatis, scilicet quod modo sit generatio, modo corruptio; sed causa immediata illius est motus obliqui circuli. Quod enim motus primi mobilis sit causa omnium aliorum, prima (ε) vel remota, testatur ipse, 8. *Physicorum*, in multis locis, præsertim cap. 8, quod incipit: *At vero aliud facientibus principium*, etc. Ibi enim ostendit quod motus localis est prior aliis causalitate et tempore. Dicit enim sic (l. c. 56): *Amplius hinc considerantibus erit manifestum quod loci mutatio prima. Primum enim, sicut in aliis, sic et in motu dicitur utique primum multifarie. Dicitur autem prius, quo non existente, non erunt alia, illud vero sine reliquis; et quod secundum substantiam; et quod tempore. Quare (ζ), quoniam**

(z) scilicet. — Om. Pr.

(b) secundum. — Om. Pr.

(γ) quidem. — quedam Pr.

(δ) ut. — Om. Pr.

(ε) prima. — proxima Pr.

(ζ) Quare. — quocirca Pr.

motum quidem necesse est esse continuu, aut utique continuu, aut ex qui continuus, aut qui consequenter. Magis autem qui continuus, et dignius est continuu quam consequenter esse. Dignius autem semper decipimus in natura, si possibile est. Possibile est autem continuu esse. Manifestatur autem posterius, nunc autem hoc supponatur, et hunc neque motum alium possibile esse nisi (5) loci mutationem. Necesse est igitur (7) lationem esse primam. Neque enim una necessitas est augmentari neque alterari qual fuerit, neque fieri, aut corrumpi. Horum autem neque continget aliquem fieri, nisi continuus sit, quem moveret primum moventis. — Hæc illa. — Simile dicit Commentator, commento 76, ubi sic : « Prius secundum naturam est illud quod, cum non fuerit, non erit secundum; et, cum fuerit, nondum necesse erit secundum. Verbi gratia : unum et duo, quando unum non fuerit, non erunt duo; et, si unum fuerit, non est necesse ut duo sint. Et talis est dispositio motus localis ad ceteros motus : quia, cum alii motus fuerint, erit motus localis; et, cum motus localis fuerit, non sequitur ut alii motus sint, etc. » Sequitur : « Motus localis est prior ceteris secundum naturam, et secundum causam, etc. » Et, commento 76, dicit quod ille motus localis qui est prior aliis, est motus circularis primi mobilis.

Ex predictis patet ad argumenta Scoti secundo loco inducta contra conclusionem.

II. Ad argumenta Aureoli. — Ad primum Aureoli contra eandem (quod est idem in substantia cum primo argumento Durandi), respondet Petrus de Palude (dist. 44, q. 2), dicens quod « non est simile de motu locali, qui est a fortiori virtute, et non est per se ad corruptionem (unde deus impossibilitatis non per se ab illa passione preservat) et de alia passione, que immediate fit a solo corpore, cui absurdum est corpus gloriosum esse subiectum. Non videtur incredibile vel impossibile ponere in corpore humano glorioso nobiliorem et fortorem virtutem omni alia que sit in quocunque alio corpore, sicut nobiliorem et perfectiorem claritatem quam in sole. Propter quod, si est in eo qualitas per quam possit persistere intensissimo calori et frigori et incisui, sicut et per duritiam adamus ferro et calidi resistit, nullum impossibile est etiam de motu locali, si est in eo qualitas per quam a nullo corpore possit impelli. Nec propter hoc erit immoderate virtutis, si transcendit virtutem alterius corporis ignobilioris. Sed respectu angelorum non queritur : quia nec cor-

pus naturæ est, esse virtuosius angelo, nec etiam anima. Ergo, ne patitur a spiritu, est per divinam predilectionem; sed ne a corpore, est per propriam qualitatem. Dicunt etiam aliqui, quod adversus spiritum etiam resisti posset per qualitatem, et adversus munem per (1) virtutem in corpore vel in anima : quia nullo major virtus requiritur ad agendum quam ad resistendum; quia natura agendo se multiplicat, et se servat in simili tantum; sed resistendo conservat se in seipsa, ad quod natura (6) habet maiorem inclinationem, ut quibusdam videtur. Unde, quamvis imperfectissimus calor sit perfectior maximo frigore, quia secundum totam speciem excedit, nihilominus tamen magnum frigus resistit parvo calori; et quamvis minimis angelus habeat nobiliorem virtutem gravitate terre, non tamen propter hoc posset movere totam terram; ita, et si virtus in corpore glorioso vel in anima esset ad resistendum motui angeli, non propter hoc esset nobilior simpliciter virtute angeli. Non tamen oportet ponere virtutem per quam resisteret omnibus angelis simul, sicut nec per quam resisteret Deo : hoc enim est impossibile, nec est necesse. In illis ergo in quibus illa virtus non sufficit, divina virtus subvenit; in quibus autem illa potest sufficere, dignitatem corporis et anime deest eam habere. » — Hæc Petrus, et bene.

Ad secundum, negatur minor. Nec valet ejus probatio. Quia agere in quocunque subiectum non est propria passio virtutis activæ, sed solum agere in passum dispositum et actionis ejus susceptivum. Similiter nec pati a quocunque activo est propria passio materiæ, sed posse pati a (2) determinato agente. Unde, si ista ratio aliquid valeret, neque concluderet quod in celo, aut in quocunque alio corpore, non est aliqua qualitas prohibens actionem ignis in illud.

Ad tertium similiter negatur minor : quia pati et corrumpi non est propria passio compositi ex elementis; sed habere potentiam ad pati et corrumpi. Et illa remanet in corpore humano glorioso. Sed illa potentia non poterit exire in actum, propter superveniens impedimentum, ut supra dictum est. Unde hoc argumentum solvit sanctus Thomas, distinctione presenti, q. 2, art. 1, q^{da} 1, in solutione secundi, ubi sic dicit : « Duplex est potentia : ligata, et libera. Et hoc non solum est verum de potentia activa, sed etiam passiva. Forma enim ligat potentiam materiæ, etc. » ut supra recitatum fuit, in principio hujus articuli.

Ad quartum patet responsio ex solutione primi. Et ulterius, responsio quam recitat arguens, sufficiens excludit argumentum, ut patet ex dictis sta-

(1) continue, erit utique continue, aut — continue autem Pr.

(6) nisi; — secundum autem Pr.

(7) est igitur. — Om. Pr.

(1) pati. — Om. Pr.

(6) natura. — non Pr.

(7) a. — Om. Pr.

tim ad tertium. — Et ad ejus improbationem, dicitur quod corpus gloriosum per illam qualitatem resistere poterit omni corruptivo, ligando potentiam materiam, et determinando eam ad unum, ne possit recipere aliquid contrarium vel repugnans dispositioni qua perficitur ab anima, vel perfecto dominio anime super corpus; non autem qua perficitur fundando formam contrarietatem, et auferendo antiquam ad activam ex qua habet sunt agere in corpus; sicut qualitas celi, ipsum preservans a corruptione vel passione abjectiva, non habet contrarium; licet non sit per omnia simile, quia materia celi secundum se nullo modo est in potentia ad corruptionem, nec ad peregrinas impressiones, secundum ponentes in celo materiam alterius rationis a materia corporum inferiorum. Sed sufficit ista similitudo, quod non oportet qualitatem corporis gloriosi esse formaliter contrariam qualitatibus activis et passivis, quamvis sit ratio resistendi eorum actioni.

III. Ad argumenta Durandi. — Ad primum Durandi patet responsio; quia idem est cum primo argumento Aupoii.

Ad secundum respondet Petrus (dist. 44, q. 2), dicens quod « non est simile in corpore damnatorum et beatorum, cum ibi nihil supernaturale pertinet ad gratiam et dignitatem poni debeat, sicut hic. Et preterea, cum ibi sit passibilitas sine corruptione, hic vero neutrum, non oportet quod sit eadem causa, ubi est tam differens effectus ». — Hec Petrus, et bene. — Verumtamen de hoc multa sunt superius dicta, dum ad argumenta Scoti respondetur: quia abunde provenit impassibilitas et incorruptibilitas beatorum quam damnatorum, prima ex duplici causa, secunda ex una illarum tantum.

Ad tertium respondet Petrus (ibid.), dicens quod « divina virtus assistens non excludit a corporibus gloriosis formam intrinsecam inherentem ». — Hec ille, et bene; nam ex dictis Augustini haberi potest quod impassibilitas corporis gloriosi est quod positivum existens in corpore, ab anima gloriosa derivatum. Ait enim in Epistola ad Dioscorum (epist. 118, al. 56, cap. 3): *Tum potenti natura Deus fecit animam, ut ex ejus plenissima beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis et incorruptionis vigor.* — Hec Augustinus. — Et recitatur a sancto Thoma, 3 p., q. 14, art. 1; et q. 54, art. 3 (ad 1^{am}), et multis aliis locis (5).

Ad quartum respondet (7) Petrus (ibid.) dicens quod « effectus privativus non requirit causam positivam formalem; nullam enim talem habet causam. Sed necesse est quod habent causam positivam tam

efficientem quam fundamentalem: nunquam enim aliquid habet rationem cause, nisi sit positivum. Sed causa positiva influit in effectum positivum; et sic causat ipsum. Sed effectum privativum non causat influendo directe, sed per subtractionem propriæ influentie, ut esset de Deo, si res annihilaret, et de nauta, si inter pericula maris navem non regeret; vel impediendo influentiam alterius, sicut obstaculum positum in fenestra causat tenebram impediendo illuminationem solis, et eodem modo terra interposita inter solem et lunam causat eclipsim. Similiter impassibilitas non potest alicui convenire, nisi per naturam ad quam sequitur privatio principiorum, mediante quibus inest alicui passibilitas: vel per naturam impediendam passionem que ab aliquo posset fieri. Et utroque modo impassibilitas est a causa positiva, vel inherente, vel assistente. — Hec Petrus, et bene. — Concordat enim dictis sancti Thomæ in principio tertii articuli recitatis.

IV. Ad argumenta Henrici. — Ad objecta Henrici respondet (12) Bernardus de Gannato, in impugnacione illius questionis, dicens: « Cum dicit Henricus, quod quantumcumque corpus sit subiectum anime, si nihil sit receptivum in corpore, etc., ex hoc habebitur quod sit impassibile quia non patitur, sed tamen de se erit passibile; — dicendum quod dos ista est aliquid positivum in corpore, ut sit perfecte subiectum quodammodo, vel realiter, vel secundum intellectum. Nec est inconveniens, si corpus compositum ex contrariis, sue nature relictum, sit sic passibile. Nec hic querimus quod sit impassibile, nisi inquantum est gloriosum. — Quod autem dicit, quod posset debilitari dominium qualitatis in corpore, — contradictio est: quia, si non potest debilitari dominium anime super totum corpus, impossibile est quod debilitetur aliqua qualitas, vel disponatur aliquo modo contrario isti dominio. — Quod autem aliquid corpus ex se sit necesse non patet, de composito ex contrariis impossibile est, nisi per aliquod additum, hoc poni, nisi ponendo quod anima dat esse corporeum (6); — dicendum quod anima dat totum esse substantiale quod est in homine, cum ipsa includat virtutes omnium formarum ordine essentiali precedentium. Nec homo est compositus nisi ex anima et materia appropriata anime, quæ habet condiciones convenientes operationibus anime, ut sunt organa, quibus omnibus anima dat esse substantiale, absque alia forma substantiali. Et ita vera mixtio est (7) in homine, sicut in aliis; quia anima dat illud esse quod daret forma substantialis mixti. Preter hoc autem est in homine

(12) ad actionem. — ibi actibus Pr.

(5) Cfr. 1^{am} Pr., q. 1, art. 6.

(7) respondet. — respondeat Pr.

(12) respondet. — respondit. Pr.

(6) corporeum. — incorporeum Pr.

(7) mixtio est. — mixtio Pr.

forma mixti accidentalis, quæ resultat ex proportionem primarum qualitatum, et diverse ex diversa proportionem, sicut est durities ossis, et mollities carnis, et sic de aliis. Formæ etiam elementarum sunt in virtute in homine, sicut in aliis mixtis, et eodem modo ac si poneretur (z) in homine alia forma substantialis præter animam. Et eodem modo sunt actiones et passionem qualitatum in homine, ac si illa forma poneretur, quæ non prius faceret actionem vel passionem qualitatum quam faciebat anima. Finalis autem corruptio hominis nulla est nisi separatio anime a corpore, ad quæ disponunt actiones et passionem qualitatum. Unde figmentum est ponere illam aliam formam. — Quod autem dicit, quod materia est incorruptibilis, sicut corpus cum dote, — dicendum quod essentia materia incorruptibilis est; sed dispositiones quæ requiruntur in ea ut sit materia propria anime, sunt corruptibiles, quantum est de se, sicut in aliis mixtis. » — Hæc Bernardus, et bene.

Ad argumentum contra quæstionem (2) respondet (y) sanctus Thomas, dist. 44, q. 2, art. 1, q. 1, in solutione primi argumenti, ubi sic dicit: « Secundum Anselmum (*Cur Deus homo*, lib. 2, cap. 11), mortale ponitur in diffinitione hominis a philosophis, qui non crediderunt hominem totum aliquando posse esse immortalem, quia non viderunt homines nisi secundum hujus mortalitatis statum. Vel potest dici quod, secundum Philosophum, in 8. *Metaphysicorum* (l. c. 5), quia differentie essentielles sunt nobis ignote, utimur quandoque differentiis accidentalibus ad significandum essentielles differentias, quæ sunt accidentalium cause. Unde mortale non ponitur in diffinitione hominis quasi ipsa mortalitas ad essentiam hominis pertineat, sed quia illud quod nunc est causa passibilitatis et mortalitatis secundum præsentem statum, scilicet compositio ex contrariis, est de essentia hominis; sed tunc non erit causa ejus, propter victoriam anime super corpus. » — Hæc ille.

Et hæc de quæstione sufficiant. De qua benedictus Deus in æternum. Amen.

(z) poneretur. — proponeretur Pr.

(2) quæstionem. — conclusionem Pr.

(y) respondet. — respondit Pr.

QUÆSTIO III.

UTRUM CORPUS GLORIOSUM PER DOTE SUBTILITATIS POSSIT ESSE IN EODEM LOCO SIMUL CUM ALIO CORPORE



UTRUM, circa quadragesimam quartam distinctionem, quaeritur: Utrum corpus gloriosum per dotem subtilitatis possit esse in eodem loco simul cum alio corpore.

Et arguitur quod sic. Quia, ut dicitur, *Philipp. 3*, (v. 21): *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratur corpori claritatis suæ. Sed corpus Christi potuit simul esse cum alio corpore in eodem loco, ut patet per hoc quod post resurrectionem intravit ad discipulos januis clausis, ut dicitur, Johan. 20* (v. 26). Ergo etiam corpora gloriosa ratione subtilitatis poterunt esse cum aliis corporibus non gloriosis simul in eodem loco.

In oppositum arguitur. Quia dicit Boetius, in libro *de Trinitate* (circ. princip.): *In numero differentiarum varietas accidentium facit. Nam tres homines neque genere, neque specie, sed suis accidentibus distant. Nam si vel omnino cuncta ab his accidentibus separamus, tamen locus est cunctis diversus, quem unum fingere nullo modo possumus.* Ergo, si ponantur duo corpora in eodem loco, erant unum corpus numero.

In hac quæstione erant tres articuli. In primo ponuntur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod corpora beatorum erant subtiliora propter plenum dominium anime super corpus ut perfecte informat, et per aliquam formam eis inherentem, quæ dicitur dos subtilitatis.

Prænam partem hujus conclusionis ponit sanctus Thomas, dist. 44, q. 2, art. 2, in solutione primæ quæstionem, ubi sic dicit: « Nomen subtilitatis a virtute penetrandi est assumptum. Unde, 2. *de Generatione* (l. c. 10), dicitur quod *subtile est penetrativum partibus, et partium partibus.* Quod autem aliquod corpus sit penetrativum, contingit ex duobus. Primo, ex parvitate quantitatis, præcipue secundum profunditatem et latitudinem; non autem secundum longitudinem; quia penetratio fit in pro-